





\* ex Bibliotheca de cibis. Viteberg. 1710.  
\* Prudentia Thoreea Semper. Viteberg. 1590.  
\* Lep. Bo. Chirurg. Gall. Hung.  
7. P. M. sebast. kochmayeri. Viteberg.  
ex 2. Reg. II. Viteb. 1627.  
+ Diesel. ear. de Chirurg. Wickmannshausen.

eingezetet 17. III. 1915.

\* ex Ecclesiast. XII. 1 — 7.  
Viteb. 1623.  
+ ex S. LXXXIII. 25:26  
Ex IV. XIX. 6.



47 xx) 5d.

DE  
**METAMORPHOSI**  
**NEBUCADNEZARIS,**

ex Daniel. Cap. IV.

*PHILOLOGEMA*

Sub PRÆSIDIO

*VIRI CLARISSIMI*

**DN.M.JOHANN-WILHELM**

Hilligers/

CHEMNICENSIS,

Fautoris ac Amici plur. honorandi,

*Placida συμφιλογύντων ἐξετάσσει proponit*

AUCTOR

**CHRISTIANUS Hentschel/**

Leisnicensis, SS. Th. St.

*Ad d. VII. Octobr. in Auditorio Minori.*

*Horis antemerid.*

\*\*\*\*\*  
WITTEBERGE,

Literis WENDIANIS excudebat DANIEL Schmaß/

Acad. Typogr. ANNO 1771.





**D**eliberanti mihi cum animo meo, in quānam potissimum  
materia ingenii periclitarer vires, de nulla alia, quām de  
*Metamorphosi Nebucadnezaris, Regis Babylonii Philologe-*  
ma conscribere placuit tandem. In antepositum quidem ini-  
tiō lapsus ac penē deterritus fui, cūm varias sententias, ac eas ple-  
rasq; lubricas, atq; hinc inde flexas viderem. Qvia tamen viam se-  
mel ingressus eram, à cōcepto resilere nolui, sed propterea potius judi-  
cii nervos eō magis intendendos esse duxi. Dabis igitur qvoq; L.  
B. eō magis veniam, si à juvēne in tantā opinionum confusione non  
omnia ad palatum tuum acu fuerint tacta, non immemor illius  
Ebræorum: מזרן למצוּרָן כעושה המצוּרָן qvōd & intentio salī  
Et conatus boni operis pro opere ipso haberi debeat. Deus faveat hisce  
nostris conatibus, qui est Rex Regum & Dominus Dominantium!

## §. 1.

**P**riusquam autem de ipsa Metamorphosi Nebucadnezaris sollici-  
ti simus, ejus historiæ veritatem statuminari oportet, ne in cas-  
sum laborare videamur. Hanc verò labefactare audent *Orige-*  
*nes, Henricus Salmuth & Stephanus Forcatulus* cum suis compliciti-  
bus, sed infelici tūm conatu, tūm successu.

§. 2. *Origenes, Pater parabolicus*, uti semper nimium quantum  
delectatus fuit parabolicus, ita &c, qvæ de Metamorphosi Regis Assyrii  
dicuntur, parabolicè intelligenda esse, de casu Diaboli ex cœlesti  
felicitate in tartaram miseriam, deliravit. *Vide, sis, Corn. à Lap. su-*  
*per Dan. p. 1299. Perer. p. 509. & Sanctum p. 199. seq.* Quem errorem  
jam dudum refutavit *D. Hieronymus*, cumq; hæresin appellavit; cūm  
historiam esse pateat ex simplici narratione totius capituli, ac expres-  
sis verbis tūm ipsius Regis, qui tūm c. III. 33. de se scribit: אַתָּה  
וְתִמְחִיתָ רֹא עֶבֶד עַמִּי אֱלֹהֵי עָלֵינוּ שָׁפֵר קְרֻמֵּי לְהַחֲיוֹתָךְ:  
conveniens mibi visum est, indicare signa & mirabilia, qvæ mibi Deus  
fecit excelsus; tūm c. IV. 25. ait: כֹּלָא מִטָּא עַל־נְבוּכָנָצֶר מֶלֶכֶת  
omnia has (qvæ in præcedentibus in somnio sibi ostensa narraverat)  
venerunt super Nebucadnezarem Regem. Parilem in modum Schot-  
zus Phys. Cur. p. 509. hanc historiam, qvæ jam sub manibus nobis est,  
in dubium vocare sine crimine ac piaculo posse neminem, affirmat,

cum divina autoritate conscripta sit ac stabilita. Accedit omnimoda  
carentia convenientiae in aliquo tertio; ( si enim haec Metamorpho-  
sis esset per parabolam de casu Cacodæmonis intelligenda, seqveret-  
tur, Diabolum cum Deo rediisse in pristinam gratiam, qvod  
αγέλογον) & deniq; justitiae divinæ scopus: debebat enim Nebucad-  
nezar cognoscere potentiam Altissimi, & ei dare gloriam; qvod quo-  
modo Diabolis convenire queat, non liquet. Quid? qvod & hu-  
jus historia vestigia apud ethnicos scriptores existere, referente Schota-  
no Biblioth. S.V. T. p. 1095. Conf. Corn. à Lap. p. 1320. Perer. p. 312. &c.  
Haud dubiè verò ii casum Satanæ ignorarunt; qvì ergò parabolam  
de eo conscribere qviverunt?

§. 3. Rationes, qvibus Origenes pro sua sententia stabilienda  
usus fuerit, retulit ac refutavit Lyra super h. l. Pererius l. c. aliique,  
qvos vide.

§. 4. Henricus Salmuth ad Panciroll. Rer. memor. l. i. de Equis p.  
475. 476. cum Steph. Forcatulo l. 5. de Gallor. Imp. & Philos. nihil Re-  
gi accidisse existimat, prater septennem imperii privationem, qvæ illum  
ab augusto majestatis gradu dejectum ac miserum bruto exæquavit. Ve-  
rūm hæc, cùm sine ratione dicantur, ac Scripturæ Sacræ contrarien-  
tur, qvā adducuntur facilitate, meritò rejiciuntur eādem. Citat  
qvidem pro se Josephum Henricus Salmuth, sed ipsi infert injuriam;  
cùm apud eum nec vola nec vestigium ullibi appareat, unde hujus  
opinionis argui queat. Qvin potiū à nobis stare ipsum, testantur li-  
qvidò ejus verba: Qualem, inqvientis, Daniel prædixerat (Nebucad-  
nezarem) talis etiam eventus adfuit. Nam cùm in solitudine tempus  
prædictum exegisset, nemine audente invadere septennio toto dominium,  
exorato Deo rursum in regnum suum restitutus est. V. ipsum Libr. X.  
Antiquitatt. c. 11.

§. 5. Evictâ igitur feliciter veritate historica, rectâ progredimur  
ad ipsam Transformationem Regis Assyrii, qvam per somnum in  
arbore Dan. c. IV, n. 14. significatam Propheta Daniel ipsi prædixe-  
rat v. 22. 23. qvamq; Rex ipse, mala passus, de se memorat v. 30.

§. 6. Si Commentatores consulturi adeamus, dicendum nobis  
לא כל אצבעות חחכמים שווות על מלחה זו: non omnes digitos eruditorum circa hoc esse æquales, adeò varias mul-  
tumq; discrepantes ac sibi contrariantes deprehendimus sententias;

im



imò nonnullas evidentissimis textus verbis *καὶ Διαμέτρος αἰνιεμένων*, ac, qvæ obelo priùs notentur dignas oppidò, qvàm *Γέστη nostram proponamus*, recteq; statuentium & veritatem sectantium sententiæ subscribamus.

§. 7. Ut igitur in illis examinandis *Οτάντας* procedere possimus, non frustrà erimus, si eas dispescamus in duos ordines, qvorum *primus* sit *deficientium*, alter *verò excedentium*.

§. 8. *Deficiunt partim*, qvi Metamorphosin Nebucadnezaris nihil aliud fuisse affirmant, qvàm morbum, qvem Medicorum filii nuncupent Melancholiam, qvâ qvi laborent, mutantur in bestias, non qvidem reverà, nec existimatione aliorum, sed propria tanè opiniōne, & secundum imaginationem, qvæ tunc adeò perversa ac depravata sit, ut illi sibi omnino bestiæ videantur.

§. 9. Hujus sententiæ Auctores ac Patroni juxta *Delrium Disq. Mag. T. I. l. 2. qv. 18. p. 384.* sunt pleriq; Patres; item *Thomas Aquinas*, vel qvicunq; auctor est *Tract. de Regim. Principum lib. 2.* nec non *Mercurialis l. 1. Tract. c. 17. Pomponatius de incantat. c. 12. Münsterus, Crellius, & Fessilius in Concord. p. 609.* & qvi illis favet *Zachias Qv. Medico-Leg. l. 2. qv. 16. §. 22. p. 146.* Sic & qvi primi in hunc censum fuissent referendi, *Grotius ad v. 30. (V. Calov. in Anti-Grot.) Dilherzus Elect. l. 2. c. 2. p. 232.* & qvem hic, addito tantèm aliquati verborum ornatu, *natura pôda* sequitur, *Franciscus Vallesius Philos. S. c. 80. p. 405.* vide *Zachiam l. c. Schottum Phys. Cur. p. 511. Stengel. de Monstr. p. 323. &c.* Audet qvidem *Non-nemo Fr. Vallesium* in hac revindicare, eosq;, qvi hoc de ipso dicunt, improbrare, quasi tantum ejus priora legissent verba, dicentis: *nihil aliud fuisse Metamorphosin Nebucadnezaris, qvàm Melancholiam*; non autem sequentia, qvibus dicit; *alioquin & figuram ipsi mutaram fuisse in magnam deformitatem, & faciem ab humana diversam &c.* Verum enim verò (qvod cum pace *Auctoris* dico) hæc defensio pro *Vallesio* est nulla. Legatur, qvæso, totum ejus caput, & sanè nihil aliud inde elucescat, qvàm fuisse omnino melancholiam, qvæ juxta ipsum fuerit causa deformitatis.

§. 10. Qvicunq; tamen fuerint tandem, qvi hanc tûm foverint, tûm propugnarint opinionem, eam nihil moramur, sed ut minimè probabilem meritò rejicimus. Ambabus equidem facile largimur

A 3 cuiq;



quiq; manibus, imaginationem Nebucadnezaris fuisse ita viciatam,  
ut se non hominem, sed brutum existimaret. Sed vero hanc ejus  
transformationem non nisi imaginariam ac putativam fuisse, qvæ  
nullum proorsus extra corruptæ phantasie ipsius operationem, verita-  
tis fundamentum præsupposuerit, hoc est, qvod negamus. Sig-  
nem aliquid amplius verba textus important, præter phantasia ac ima-  
ginationis corruptionem, qva sibi in feram, unius pars aut alterius  
speciei mutatus videbatur, cum expressè dicatur: וְלֹבֶב חַיִזֵּת וְתוֹרָב לְפָנָיו cor feræ detur ei v. 13. sunt verba Magnifici Nostri  
**CALOVII** in *Anti-Grot.* ad b.l. Distinguendum ergo erit inter solita-  
riam ac simplicem phantasie corruptionem; ac inter ipsius principii, ani-  
mam inimicorum rationalis, cum insigni reliquarum emanantium inde facul-  
tatum inferiorum depravatione conjunctam perversionem. Hanc  
qvivis ἀνθρώποι facilè huc admittet, illam ceu insufficientem  
repudiabit. Modus enim hic non sufficit, & meritò dicitur à Cor-  
nelio non-adaequatus. Nullus enim naturalis morbus figuram ho-  
minis mutat, neq; temperamentum ejus ita efferat, ut per septem  
annos cibo ferino, & quasi fera cum feris vivat. Et qvì Daniel at-  
que cæteri Satrapæ Regii eum ex aula in silvam eliminassent, si vidis-  
sent, in eo nihil nisi phantasiam corruptam? potius eum domi cate-  
nis alligatum aut conclavi cohibitum custodiissent, donec ad se re-  
diret. Sigvidem & hodienum non raro usit uisu, homines Mel-  
ancholia vel atra bile laborantes, se esse bruta, imaginari sibi; non  
tamen statim in agros extrudi illos videmus; domi potius catenis &  
conclavi coercentur, usq; dum pristinam recuperant mentem. Ha-  
bent nec minus nostri Melancholici sua certa intervalla, qvibus re-  
cto rationis usu gaudent, ac, si qvid indecorè gesserunt, moerent,  
qvæ nostro Regi, obstante vi textus, concedi non possunt; qvod in-  
ferius pluribus probatum ibimus.

§. II. Partim deficiunt, qvi Transmutationem Nebucadnezaris non  
fuisse veram, nec qvoad animam, nec qvoad corpus, sed metè phan-  
tasiam ac præstigatoriam, ita ut Rex sibi & aliis tantum apparue-  
ret esse mutatus in bestiam; vel, qvia sive DEUS, sive Angelus, sive  
Dæmon sic immutarit ac afficerit sensus & oculos Regis & intuen-  
tium Regem, ut Rex se esse, intuentes se videre bestiam putarent.:  
vel, qvod pro probabiliori venditant, qvia circa corpus Regis cir-  
cumposita



cumposita fuerit figura quædam bestiæ, circumponente vel DEO  
vel Angelo, vel Dæmonem, sub qua cùm cerneretur à se & aliis, bestia  
putaretur. Sie statuit *Mitbaël Medina* l. 2. de recta in Deum fide  
e. 7. quocum facere omnes videntur, qui figuratum *Lycanthropia*  
hinc defendunt, quod cum primis Bodinum in libr. contra Wierum  
conari, censet *Friedlib. Theol. Exeg. V.T.*

§. 12. Posuisse quidem vel DEUM, vel Angelum, vel Dæmonem  
Regis & intuentium oculos perstringere, vel aliquod ferinum corpus  
circa eum ponere, sub cuius involucro bestia visus fuerit, non ne-  
gamus, nec negabit quisquam, si de possibiliter tantum sermo sit;  
(quoniam à Deo & Angelis bonis omnes præstigias removeamus)  
Sed re aperte talis transformationem Nebucadnezaris fuisse, negant  
Pandectæ ipsæ Sacrae.

§. 13. Quamvis verò improbabile per se sit tale assertum *Medina*,  
nec nisi vanis ac lubricis innitatur conjecturis, tamen, quod negat si-  
bi, negat alio apparuerit vel per illusionem sensuum, vel per circumposi-  
tionem corporis ferini, paucis ostendemus. Non sibi per illusionem  
sensuum; quia *Scriptura* S. innuit, cum fuisse mutatum verè (non  
quidem quo ad substantiam, sed accidentia) in bestiam, quandoquidem ait; *Cor ejus ab humano mutatum fuisse, et cor fera ipsi datum;*  
*capillos revera crevisse in similitudinem aquilarum, et ungues ejus*  
*quasi avium:* Nec per circumpositionem corporis ferini, quia hoc non  
fuisse mutari, sed regi, neque ab extrinseco apparuisse eum, sed in-  
trinsecus mutatum esse significant satis superque illa verba: **לְבָבֶךָ אַנְשָׁא יִשְׁבֹּעֲגָנֵז**. Et quis ulla subfuisse præstigias credat, ubi  
singulare protus animadversionis genere in viam reducendum insi-  
lentissimum hominem justissimus statuebat DEUS? Ergo hæc poe-  
na tanto crimini non sufficeret, nec exhausisset sensum decreti di-  
vini. Nec ratis cum intuentibus apparuit: non per illusionem visus  
eorum; namque sic intuentes alieni ac quæ ac Rex proprii luissent poe-  
nas peccati, quod absurdum, cùm, ut Rex solus daret poenas, *Con-*  
*cilium Sanctorum decrevisset.* Quid & Rex ipse de se fatetur, suo,  
non aliorum, sensu sanato: **מִנְרָעֵי יְהוָה עַל** *sensus meus reversus est*  
*ad me:* quod non dixisset, si deceptus fuisse sensus alienus: nec per  
circumpositionem corporis ferini; nam herbas comedit Rex, quod  
non fecisset, si in se igit Rex mutatus non fuisse, sed tantum aliis-  
mutatus.



mutatus apparuerit. Addo deniq; , nil nisi Scepticismum inde ac Pyrrhonismum tali ratione invehi. V. Dannb. Psychol. p. 27. Perer. p. 334. C. à Lap. p. 1300. Schot. & Steng. ll. cc. Prückn. Vind. p. 212. Gerhard. LL. CC. Tom. 8. de Morte, Baldus. Cas. Cons. p. 557. &c.

§. 14. Atq; sic fuit ordo deficientium. Nunc ad contrarium huic sententiæ ordinem , qvem fecimus excedentium ; qui dum unum fu- giunt extremum , in alterum dilabuntur , juxta illud :

*Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdis.*  
Statuunt enim Nebucadnez aris Metamorphosin fuisse substantialem , atq; eam vel quoad partem , vel quoad totum .

§. 15. Quoad partem , externam nempe tantummodo corporis figu- ram , Regem fuisse immutatum , ita , ut ea sic tam monstrosè confor- mata fuerit , ut anteriore parte speciem bovis gereret , posteriore au- tem Leonis ; formam verò hominis , animam rationalem in eo sal- vam permansisse. Sic sentiunt Epiphanius in Vit. Dan. col. 1090. Do- rotheus in Synops. Eccl. Hist. p. 681. ( nisi horum libri sint supposititii , ut conjiciunt Vossius de Idololatr. l. 3. c. 41. p. 946. Bochartus Hieroz. P. II. c. 2. col. 167. G. Horn. ad Severi Hist. S. p. 278. & Simson. Chron. Ca- thol. P. III. p. 110.) Cedrenus , Pseudo Justinus ( v. Geier. ) Chronicon Ale- xandrinum , Pacianus Parap. de Pat. & Paulinus , qui eum depingit ex leone , vulture & bove foeda forma , ceu ejus immanem picturam exhibit Nieremberg. 2. Strom. S. p. 73. v. Brochm. Synt. Tb. p. 593. Bald. Gesn. C. à L. ll. cc. Dieterich. Antiqu. Bibl. f. 636. Sanctius , p. 201. Hanc sententiam suam videntur traxisse ex versione τῶν LXX. ubi hæc verba שערה כנשׁרין רכברן ita versa leguntur : αἱ τείχες ἀυτῷ ὡς λεόπον ἐμογύ. pili ejus quasi leonum excreverunt; & sic turpi errore pro aquilis substituere leones. Sed versio textui ἀυτὸν τῷ nihil quicquam præjudicare potest. Nam vox נשר nullibi leonem , benè ta- men semper aquilam notat. Nec minus probare id sat agunt , qvia hic dicatur : cor feræ , non bestiæ , detur ei ; bos autem sit bestia , non fera ; leo contra sit fera simul & bestia. Addunt , qvòd & Rex hie superbus fuerit & crudelis , ut Leo , unde Leoni comparetur c. 7. 4. Sed ne quid nimis ! Non corpus feræ , sed cor i. e. imaginatio & appeti- tus ferinus dandus erat Regi. Et posito , non concesso , pilos ejus crevisse quasi leonum ; undenam , qvæso , ita concludendi esset facul- tas : E. corpus ipsum in Leoninum mutatum est ? Ut nihil dicam de forma



forma hominis, quæ inconvenientem sibi materiam, qualis utique ea ratione corpus Nebucadnezaris fuisset, informare non potest, ut loquuntur Phisici.

§. 16. Et quanquam Cornelius à Lap. ab illa sufficione, quod scil. Rex noster substantialiter mutatus sit, se alienum esse fateatur, eas tamen, multa conglomerando, tricas sibi necit, unde se expedire, modo pressus urgeatur, vix poterit, est censura Reverendissimi Svaningii ad b. l. ubi & ipsius argumenta strictim affert ac refutat, quæ vide. Unum atque alterum adhuc annotabo, in quibus Cardinalis iste homo insigniter sibi contradicit. (1.) suam sententiam ferens de hac metamorphosi: Nebucadnezar, inquit, verè mansit homo; ast opinionem de mutatione substanciali, in corpus leonino-bovinum refutans dicit: in S. Codice bovis tantum fieri mentionem. Boves autem non tantum cicures esse ac domesticos, sed & agrestes & feros, uti sunt urii & bisontes. Tali ergo, inquit, factus videtur Nebucadnezar. Nec minus (2.) absurdia contradictione laborat Cornelius in eo, dum Nebucadnezari manicas ferreas relinquit, quæ cursum ipsi inhibeant, & tamen ei vertebrae genuum invertit, ita, ut extorsum quadrupedum more prominenter, idque propterea, ut pari cum bobus celeritate per pedes & manus callosas inde factas curreret, & inæqualia loca transiliret. Quam tamen inversionem vertebrarum genuum ut prorsus improbabilem meritò rejicit Jesuita Sanctius ad b. l. f. 197. qui videri potest, Non ergo sine judicio legendum esse Cornelium à Lapide, rectè monet Dn. Mitternacht Histor. S. p. 366. & valebit de eo, quod Chagigah de Scriptoribus habet col. 2. f. 15. רְמֹן מֵאַתָּה כָּל קְלִיפּוֹתָן Qvi malo granatum invenit, comedat meditullum ejus & coruscem abjiciat.

§. 17. Quoad totum substantiale, tūm quoad corpus, tūm quoad animam Nebucadnezarem fuisse mutatum in feram, affirmant Bodinus l. 2. c. 6. Damon Heidfeld. in Spbing. c. 14. p. 387. Corpus Canonicum C. 17. qv. 4. c. 8. p. 712. edit. Lugd. ann. 1591. (v. Geier. ad b. l.) quod & de Josepho tradunt Lyra ad b. l. & Cartusianus, ac si formam bovinam tribuerit Nebcadnezari, quod tamen in Josepho nusquam appetet, nec ex verbis ejus, quæ supra §. 4. sub fin. citavimus, ullo modo extorqueri potest. v. Saning. Geier. C. à L. Stengel. Schott. II. cc. Sic & alii Angustinum hanc opinionem de Rege Nebucadnezare, quod ob superbiā

*perbiā suā in bovē ex homine fuerit commutatus, foviſſe, ex ejusdem Epist. 187 haud obscurē colligere amant. Verum enim verò non tantū hanc epistolam, sed & omnes illas, qvarum inscriptio: Augustinus ad Bonifacium, non esse Augustini epistolās, sed falso ita inscribi, vult Estius Jesuita, in Bibl. Annotat. ad b. l. p. 580.*

S. 18. Ast disputerent de opinionis hujus Auctōribus, qvicunqve velint, nos non tam falsarum sententiarum Auctōres, qvām ipsas falsas sententias impugnamus. Argumenta, qvæ pro hac sententia afferuntur, recenset B. Brochmandus Syst. Tb. Tom. II. p. 593. qvæ nos stricte refutavimus, cùm aliás non sint magni momenti. Fidem scilicet facere adsertioni satagunt (1.) ex v. 16. ubi dicitur: auferendum esse Regi Nebucadnezari cor humanum, & dandum ei cor fera. Sed cor accepit Nebucadnezar ἀλλοιον, non ἄλλο: neq; enim ipsam humanæ animæ substantiam perdidit, alioquin resurrexisser, anteqvam esset mortuus, nam rediit sensus ejus v. 34. & 36. exacta temporis mensura, inquit Dannb. Psychol. p. 27. itaq; phrasē Ebraica mutationem cordis accidentalem, non substantialem intelligi oportet, ut sit sensus: Nihilo plus intelligentiæ in eo remanebit, qvām in fera aliqua bestia. v. Gerb. l. c. p. 6073. Prückn. Vind. ad b. l. p. 209. (2.) è v. 29. ubi indicatur, qvòd habitaturū se cum bestiis, & tanquam bos comedetur fænum (rectius: herbam) עשב, qualis in prima creatione aderat Gen. 1, 12. v. Magnif. Dn. Geir. l. c. & Luc. Osian. super b. l. p. 356.) Atqui conversationem cum feris & paritatem victus id præstare posse, qvis adducetur, ut credat? Temperamentum ejus ita erat efferatum, ut homini nunc convenientia alimenta, vivendi que ratio ferina. Igitur ab immutato cordis & corporis temperamento ad formæ prioris amissionem concludere, justo liberalior est illatio. (3.) è v. 30. ubi commemoratur, Regem capillitio aquilas, & ungibus aves rerutisse. Sed inde humani corporis in bestiale mutatio non seqvitur. Intermittat qvis tonsuram & resectionem per semestre tantum spatum, (non dicam per totum septennium) & qvām horridus pilis & ungibus factus fuerit, videbit. Accedebat ad hanc cultus ἀγεντιας ratio alimenti & diuturnitas ferinæ conversationis, qvæ hanc hispidinē eō reddebat majorem. v. Urfin. Anal. S. Vol. 2. p. 376. Geir. & Sanct. ad b. l. (4.) è v. 33. ubi Rex de se ipso fatetur: *Et figura mea reversa est ad me; quasi figura Regis per illud septen-*

*niū*



nium fuisset bovina, vel alia bestialis, uti & Cornelius accipit; sed si extum primigenium inspexisset, nec auctoritate Concilii Tridentini Vulgatae obstrictus fuisset, forte tam turpiter se non dedisset. Nam Chald. ۲۷ non importat talem figuram, sed splendorem tum honoris, tum externae faciei. Promissa enim ac neglecta comæ, & ex crescentibus turpiter ungvibus & toto corpore æstu ac rore deformato, nil retinuerat antiquæ dignitatis. Ergo nunc dicitur Rex amississe priorem squalorem, & resumpsisse novum splendorem, cum iterum in antiquam munditiem, regniqve dignitatem restitueretur. Ita censet Magnif. Geierus, Sanctius, Estius, Menochius u. c. (3.) Nisi Nebucadnezar substantialiter fuisset mutatus in bestiam, ipsum ramdis in sylvis cum ferocius misericordia sine ullo decripitione versari non potuisse. Verum cum sylvarum in textu nulla fiat mentio, nec probabile sit, quod consangvinei eum dimiserint eum, approbandam omnino esse hic dicimus Tirini sententiam, Regem positum fuisse intra circum palatio vicinum, in quo multæ agrestes, non tamen carnivoræ, feræ, cervi, lepores, hinnuli, capreæ &c. concludebantur. v. Tirin. Bibl. Annot. p. 582. & Dn. D. Geier. ad b. l. p. 349. seqq.

§. 19. Certior igitur erit explicatio, Nebucadnezarem non substantialiter mutatum fuisse in bestiam. Nam (1.) de tali mutatione alcum silentium est in Scriptura S. quin potius contrarium ὁ Φραλμο-Θανάτος ostenditur v. 31. (2.) Si Rex substantialiter mutatus fuisset in bovem, ea. quæ ipsi contigisse perhibentur, non reverè homini contigissent, sed bestiæ, & bos, non Rex, fuisset punitus. (3.) Post perfectum septennium ad sanam mentem, non ad pristinam substantialiter rediisse, Rex fatetur. (4.) Si in bestiam mutatus fuisset Nebucadnezar, in integrum ut postea restituerebatur, ex bestia in hominem mutatione substantiali transisse eum oportuisset. Testis autem est Daniel, restitutum esse Nebucadnezarem sola sensus restitutione, v. 31. Quæ argumento omnia sunt, non substantialiam humanam Regem amississe in ista sua Metamorphosi. Spiritui S. autem alias sententiam affingere, atque Scripturam S. cum Pontificiis ad sua cujusvis placita, ceu nasum cereum, detorquere ac retorquere, impium esset.

§. 20. Ad hunc ordinem excedentium non iniquè recensebimus eos, quorum sententia est, Nebucadnezarem per istud septennium à spiritibus malignis obsessum fuisse. Unde Belge ad v. 16. (al. 13.)

Sommige meenen / dat hy met eenen boosen Geest zy beseten gewest.  
Qvos inter primas obtinet Jesuita Tyreus, qvi hoc de Nebucadnezare affirmat, ac pro se citat Hieronymum & Epiphanius, P.I. de Dæmon. c.29. p.86. Ita enim scribit: *Sententia B. Hieronymi est in Dan. & Epiphanius in vit. Dan. Assyriorum Regem Nebucadnezarem à Dæmonibus obseßum fuisse. Nec displicet sententia, quoniam non parva obfessi hominis exhibuit indicia; quamvis præter unum nullum, idque parvum satis, adducat, quod & inferius paullò eliminabimus.* Hunc seqvitur Wierus de præst. Dæm. edit. germ. l.l. c.23. p.72. Der Babylonische König / inqviens, ward dem Satan übergeben sieben ganzer Jahr / daß er ihn von seinen Sinnen brächte / von Gemeinschaft und H eywohnung anderer Leute in eine Einöde abtreibe / seines Leibes Gestalt müßt schändete / und dieselbe ganze Zeit grausam ängstigte und peinigte ic. Ita & Vœtius P. I. Diff. Sel. Tb. p. 1056. eum putat fuisse daimonizatus. Huc inclinare ferè videtur B. Lutherus in gloss. ad Dan. 4, 30. Er wird vielleicht unsinnig und mit bösen Geistern besessen worden seyn. Quam sententiam ut probabiliorem laudat Dannhaerius im Scheid- und Absag-Brieff p.148. Glaubwürdig ist es/inqviens, daß Nebucadnezar, wie Lutherus am Rande glossaret/ mit bösen Geistern besessen worden / in deren Gewalt er durch Göttliche Excommunication und Bann gefallen. item Gesnerus. Diff. Bibl. ad h. l. Nihil ergò hi tres posteriores volunt certi constituere. Nec quisquam horum omnium ullam rationem affert, præter unum Tyreum, cui ob aliquod indicium ea opinio placet, nempè ob beluinam ejus vitam, quod gramen ut bos comederit, & sub cælo, ut fera, vixerit.

§. 21. At verò Regem Nebucadnezarem à Dæmonibus non fuisse obseßum, probari potest ex silentio Scripturae & S. quæ tamen distinctè admodum expliciteque commemorata alia minutiora & leviora, quæ in ista mutatione contigerunt. Nec enim ea obfessio Satanica ex verbis Danielis, quæ nihil minus, quam indicium ejus dare possunt, ulla ratione colligi potest. Vesci enim ut bos, & sub dio jacere, etiam insanis, quibus nihil quicquam energematis admixtum est, competit. Accedit huc, quod v.31. dicatur: *Regem ad sanam mentem redisse*; quæ verba nihil amplius important, quam eum anteà usu rationis destitutum fuisse. v. Dn. D. Dorschæum b. m. in de Obfess. Sat. Corollar. post. q.v. 29. Sect. 1.

§. 22.



§. 22. Vidimus sic bono cum Deo sententiam tūm deficientium, tūm excedentium, atqve eas suis cuiusque Auctoribus, qvoad potius, domum remisimus. Restat nunc, ut promissis stemus, nostram qvæ Iesu, qvæ veritati divinæ conveniat maximè, proponamus.

§. 23. Incessuri media seu Regia, qvam vocant, via, dicimus, Metamorphosin Nebucadnezaris fuisse veram ( in oppositiōne sc. ad præstigiatoriam ) ratione accidentium, tūm qvoad animam, tūm qvoad corpus. Nam textus nihil aliud memorat, qvām qvod ( I. ) mutatus fuerit Nebucadnezar qvoad animam ratione accidentium, dum ita perspicuè docet: *לְבַבָּה מִן־אֲנָשָׁה וְשָׂנֵן וּלְבַבָּה חֹזֶא יְתִירֶב לְהָ*. Cor illius ab humano immutetur, & cor feræ detur ei. Per Cor enim humandum, in quo velut in propria officina animæ rationalis functiones atqve operationes communiter collocate solent Scriptores Geo. Piegaeus, tam mens & intellectus, qvām appetitus & voluntas intelligitur, qvia, qvod cor est in corpore, hoc est ratio & voluntas in toto homine. Præterqvam enim, qvod vox *Cordis* hac significatione apud Sacros Scriptores veniat, docentibus id Scripturarum multis documentis, faciem insuper Soli tanquam præbet ipse Nebucadnezar v. 31. & 33. ubi verbis expressis immutati cordis restitutionem in mentis atq; intellectus postliminio redeuntis usurpatiōne constitisse, affirmat his verbis: *מִנְדָּעַ עַלְיָהוּ וְתֹבוֹן*. Quæ cordis immutatio non est prioris cordis qvoad substantiam demolitio, & alterius substitutio, uti suprà ostensum, sed facultatum animæ rationalis tanta depravatio, ut illam ferina stupiditas sit conseqvuta. Nam ratione substantia carnae & cor semper mansit unum & idem. Ratione vero accidentium ac operationum in corde peragendarum ejusmodi insolens contigit mutatio atqve admiranda. Ablato enim corde ita humano, cor ferarum dandum esse Nebucadnezari, conclusum erat in decreto vigiliū & in sermone Sanctorum, h.e. uti Glasius explicat, Grammat. S. Libr. 3. Tr. 1. Can. 30. p. 454. in decreto Vigilibus ( i. e. Angelis ) & sermone Sanctis ( angelis iisdem ) facto & manifestato. Conf. Junius Tom. I. Operum, col. 1201. Cor autem ferarum, cùm eæ intellectum ac voluntatem non habeant, significat in Nebucadnezare earum indolem qvoad imaginationem, appetitum ferinum, stupiditatem, atqve mores incultos planè ac turpes, adeò, ut Rex noster non amplius de principatu, de luxu, fastu & idolis suis, sed de fœno, solitudine,



latibulis, cæterisqve cognitionis animalis objectis tantum cogitaret. Unde luce qyavis meridiana clarius est, cognitionem ejus tūm non rationalem amplius ratione actus, sed merè sensualem existisse. Prætereà hoc loco mutatio cordis ab humano in ferinum talem mutationem infert, qvā cordis, sanguinis, indeqve totius corporis complexio, cunctorumqve sensuum temperamentum adeò effratur ac depravatum fuit, ut feracum, citra tamen humanæ naturæ amissionem, esset simile.

§. 24. Et sic ad oculos ostenditur, qvōd (II.) Nebucadnezar mutatus fuerit quo ad corpus ratione accidentium. Nam ob cibum ferinum, quem ex appetitu isto ferino capiebat, neglectumqve omni corporis ornatum tam horridus corpore evasit, ut capitī & barbæ pili ita acreverint, ut totum ferine corpus contegerent, unguesqve instar ungivum avium representarent. Nudus tori, imbri ac qvibusvis aliis cœli injuriis expositus, sine lare rectoqve, enormiter admodum deturpatus oberrabat. Inde curis non mollis amplius manebat ac delicata, sed dura valde reddebatur. Incessus erat ferinus, qvia non erectus incedebat, sed curvus & pronus, manibus pedibusqve reprobabat, & instar bovis proclivi in herbas vultu carpiebat cibum, qvorum non parūm conducebant insignia ungivum excrementa, utpote, qvibus tali modo tanto major vis sustinendi accedebat. Qvi quidem incessus non ex verbis illis *Vulgata*: *Figura mea reversa est ad me,* (qvod tamen faciunt nonnulli) cùm textus Originalis non figuram, sed splendorem importet, uti supra §. 18. ostensum fuit; sed aliis circumstantiis probari potest. Inversionem vero vertebrarum genuum, qvam somniant Cornelius à Lapide vehementer improbamus, uti & §. 16. fecimus. Eum quoqve loco sermonis mugitum & boatum bovis fuisse imitatum, alii negant, alii in medio relinquent uncertainum. Sed id probabilē omnino ducunt Lyserus, Schottus, Corn. à Lap. &c. Cui enim bono loquutus fuisset? imo, cùm ex corrupta imaginatione bovem aut aliam bestiam se esse putaret, adeò, ut quo ad externas actiones inter illum & bestiam ne tantillum discriminis fuerit, de eo quis dubitare poterit? De hac Metamorphosi Nebucadnezaris tūm quo ad corpus, tūm quo ad animam ratione accidentiam pluribus disputant, eamqve defendunt Svaningius in *Dan. 9.4. p.502.* Gerhardus, *LL. CC. Tom. 8. L. 29 de Morte c. 3. Cap. Consc. 12.*

Obj. 1.



Obj. I. p. 6073. Galovius in Anti-Grot. ad b. l. Geierius ad b. l. Broch-  
mandus Syst. Theol. Tom. 2. de Morte c. 3. cas. 12. p. 593. Lyscrus in  
Cedr. Babyl. Balduinus Cas. Consc. p. 746. seqq. Gesnerus Disp. Bibl. in  
c. 4. Dan. Gundisius in disp. quad. Theol. Friedlieb. Theol. Exeg. in F.  
T. Dieterichius Antiquit. Bibl. fol. 636. Prückner. Vindic. ad b. l. p. 209.  
seqq. Dannhauer. Coll. Psychol. disp. I. p. 27. Vatenius in Dan. p. 27. 28.  
Ursinus Anal. S. Vol. 2. p. 376. Nieremberg. 2. Strom. S. p. 73. Pererius  
ad b. l. p. 335. Sanctius ad b. l. p. 188. seqq. Schotrus Phys. Cur. p. 541. seqq.  
Estius, Sa., Menochius & Tirinus in Bibl. Annotat. vol. 580. seqq. ac  
Delrio Disqu. Mag. T. I. l. 2. qu. 18. p. 384. seqq. Franz. Hist. Anim. P. I.  
c. 20. p. 257. aliiqve, qui videri possunt.

§. 27. Hæeqve Metamorphosis ipsum duravit septennium. Negant  
hoc Dorotbeus, Epiphanius, Historia Scholastica & Chronicum Ale-  
xandrinum, qui putant, septem quidem annos Regis supplicio à Deo  
fuisse definitos, sed precibus Danielis ita temperatos, ut septem tan-  
tum menses egerit vitam beluinam. Theodoretus, ejusqve sequaces  
huic pœnæ tribuunt tres annos cum dimidio; Bullingerus verò an-  
num cum tribus anni quadrantibus intelligit, quia juxta illos annos  
in duo tempora, æstatem nempe & hyemem, juxta hunc in quatuor  
tempora, ver scil. æstatem, autumnum & hyemem communiter di-  
vidi soleat. Sed hæc omnia sine Scripturæ testimonio, ac exemplo,  
probatiqve Auctoris suffragio dicuntur. Ideò non iustè commen-  
tantur Belgæ ad b. l. Enige verstaen hier door dese seven tyden seven  
weken. And. seven Maenden. Maer't is meer te gelooben / dat het  
seven jaren geweest syn. gelück onden 11. 13. Nam septem tempora nill  
aliud esse, quam septem annorum conversiones i. e. reditus  
& anfractus orbis, qui Solem per Zodiacum circumfert, probatur  
ex ipso Auctore c. 7. 25. c. 12. 7. & Apoc. 12. 17 unum verò eundemqve Au-  
ctorem idem vocabulum diversimodè accipere non verisimile fit.  
Accedunt pilorum tam monstrosa prolixitas & unguum insignia  
excrementa, quibus tam breve tempus non sufficeret. v. Swan. Geier.  
Sanct. II. cc. Vanus est Vallesius, qui durationem hujus mali in Rego  
nostro fatalem & decretoriam appellat, ob vim sephenarii, i.e. Nugæ!

§. 26. Ita nec approbare possumus eorum sententiam, qui, Ne-  
bucadnezarem usum rationis habuisse per aliqua intervalla, affir-  
mant. Nam verba: Cor humanum ab illo immutetur & cor fera detur

633



ei; immediate subsequntur hæc: Et septem tempora mutentur super  
eum. Et post finem dierum à Deo definitorum tandem sibi redditum  
efferationis usum, fatetur ipse Nebucadnezar. v. Geier. Sanct.

§. 28. Num verò Nebucadnezar post hanc pœnam in sua inchoata  
pœnitentia persistiterit, & salutem æternam naclus fuerit, qværunt  
nonnulli non immerito. Affirmant Josephus, Theodoreus, Lyra,  
Augustinus, Pererius, Luc. Osiander, alii. v. Geier. Tirin. ll. cc. Negat  
Sanctius. Nos nihil definimus. Theologi enim qviescere jubent,  
qvibus hæc materia discutienda relinqvitur.

§. 28. Potius enucleata hac Metamorphosi Nebucadnezaris, hic  
pedem figimus, qvem figere instituti jubet ratio. Non autoritatem  
cujusq;am, sed veritatem *Scripturae* S. sectati sumus, qvam etiam  
nos assequtos speramus. Si qvid humani passi sumus, qvod non à  
nobis alienum esse potuisse fatemur, rectiora nobis cum ratione can-  
didus impertiat, qvicunq;e poterit, & nos facile dabimus locum.

Fecimus interea, qvoad potuimus. DEO, Regi Regum & Domi-  
no dominantium sit pro viribus concessis, qvalecunq;  
fuerint, Laus, Honor, & Gloria!

F I N I S.




Ung. VI 14



56

1028  
1017 I





# ORPHOSI NEZARIS,

## Cap. IV.

# OGEMA

SIDIO

# *ARISSIMI*

# N-WILHELM

berg /

CENSIS,  
plur. honorandi,

τῶν ἔξεταστ proponit

**TOR**

# us Hentschel

, SS. Th. St.

## *Auditorio Minori.*

### *temerid.*

A decorative horizontal border element consisting of a repeating geometric pattern of small crosses or asterisks. In the center of the pattern is a larger, stylized sunburst or starburst design.

BERGAE,

# debat DANIEL Šftába

VNO cIs Ioc LXXXI